



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Paupertas Christi quanta fuerit: quinam ea sit consideranda ac imitanda:  
quæ item eidem aduersentur. Can. XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Natura  
quomodo  
regenda fit.

Molestia  
quomodo  
regenda.

assumpserant intermittere, atque carnis curam denud agere coguntur. Proinde in exercitiis tua ac labores iuxta vires tuas moderare, ne teipsam destruas aut nimium graues. Eam ob rem ad sustentandam te ne deficias, placet mihi, ut naturam foueas, refocillesq; infirmitatem tuam, non tamen studio oblectandi, sed vt naturam confortandi, mihiq; in hoc seruiendi, dum instrumentum gratia mea ad meum beneplacitum, ad meum seruitium, & ad operationem meam aptum reddis: semper tamen ad voluntatem meam parata & abundare, & penuriam pati, esse vel sana vel infirma. Ceterum, vbi propter infirmitatem naturæ per discretionem non fueris coacta corpus tuum refocillare, vide ne ex impatientia, in deuotione, proprio amore, in aduersitatibus ac molestijs quas tibi mitto, subterfuga adiuuandum ac te liberandum quæras: sed quas tibi mitto, subterfuga adimplectere, patienter sustine, nemini conquerens, sed longanimiter tolerans, & me expectans. Sine me tecum agere, vt per tribulationem quæ super te cecidit, mea gratia in te boni aliquid operetur. Hæc enim longè est præstantior, multoq; fructuosior, quàm ea quæ tibi ipsi à tua propria voluntate imponitur. Certam namq; te esse volo ò filia, quod nullam in te tribulationem vnquam venire sino, quæ non pariat in te boni aliquid, renouetq; spiritum tuum, si modo tu mihi te credens ac dimitteres, in silentio tolerando ac longanimiter me præstolando: quia veniens venio, qui tibi nunquam absors, sed præsto vbique ac semper assido. Cæue igitur ne abijcias quæ tibi mitto ac impono. Ego regam te, tu verò meæ directioni ac prouidentia confidenti, mihi innitere, non tuæ propriæ voluntati. Sine vt ego alij homines te crucifigant. Tu interim non carnem, sed vitia persequere, & sustine quæ tibi occurrunt patienter.

*Sponsa fidelis vti & in quibus sponso suo Christo Iesu conformari debeat.*

CANON XVI.

**D**ebet sponsa fidelis ad eum amans sui esse sponsa, vt sine illo nunquam esse, illo nunquam velit abesse. In omnibus cupiat se sponso conformare, gaudeatq; vbi se videat simile fieri. Hoc modo tu facias quoque oportet. Considera vitam meam, actus & virtutes, è quibus discas quod diligo, & quid mihi in te placeat. Iam si fidelis esse sponsa vis ò anima, nihil tibi tam esse debet desideratum, quàm mihi placere & conformari. Quocunq; igitur iero, tu desiderata comitari: quicquid egero, stude imitari: quicquid passus fuerit, & si data fuerit occasio, gaude mihi conformis fieri. Vide nunc & expende singulas virtutes meas, aut saltem præcipuas, quibus teipsam extimules ad imitandum. Erit tibi in initio labor, ea quæ vitia tua contraria atque deformia sunt, hoc est, vitia tua, prauasq; inclinationes & corruptiones tuas abscindere, mortificare atque eradere. Verùm, vt supra dixi studiosa voluntate & assiduo conatu fiet, vt postea tanquam statu leui abigas, quæ modo ferrea vix lima possis eradere.

*Paupertas Christi quanta fuerit quinam ea sit consideranda ac imitanda: quæ item eidem aduersentur.*

CANON XVII.

Contem-

Contemplare itaque nunc primo meam paupertatem, quomodo propter te, cum diues essem pauper factus sum: quomodo in propria venerim, & mei me non receperit: quomodo quasi advena, egenus & incola fui in terra. quomodo, matre in alieno loco peregrè constituta, in stabulo sum natus, ante iumentorum ora, quæ à frigore me defenderent, super sceno in præsepè positus: quomodo pauperum fui hostia redemptus, infans in exilium pulsus, laboribus educatus parentum, hinc stipe aliena pascus, neque domum, neque proprium habens hospitium. In montibus sapè pernoctabam, vestibus quoque in passione spoliatus, & in cruce nudus moriebar, non habens in aridissima siti guttam aquæ, qua linguam arentem refecillarem: post mortem denique alieno sum conditus sepulchro. Præterea autem, quoties putas famem, frigus, sitim, cæteraq; corporis incommoda per omnem vitam meam sum passus? Corporæ consolationes (quas plerique etiam vehementer necessarias arbitrantur) ego respui, omnium rerum penuriam tolerans. Tu verò cum ad manum tibi sint omnia, de paupertate tibi blandiris, & pro pluribus adhuc habendis (quæ tamen curiositati aut superfluitati magis seruiunt, quàm necessitati) si desunt, etiam murmuras. Intuere igitur paupertatem meam, & define tristis esse, define indignari si quempiam tibi præferri, aut abundantius cernis prouideri. Quare non bona emulatrix tristaris potius, si quempiam te vides (quod sanctus Franciscus faciebat) pauperiorem, & quempiam sentis quod de omnibus sentire debes, vitæ ac paupertati meæ te conformiorem? Hæc bona foret æmulatio, non de alterius bono, nec quia te melior est, sed quia tu bona non es, & quia ex defectu tuo id accidit, tristari. Gaude igitur, & pro gratiæ meæ magno inditio, pro magno beneficio, proq; singulari dono accipe, si te graua infirmitate, si paupertate, vilitate ac abiectione præ cæteris te facio mihi conformiorem. Quare si necessaria quoque tibi desunt, si auferuntur, exulta, & nulli hominum conquerere, sed tranquillo ac silenti corde paupertatis meæ crucem mecum amplectere, te ipsam abnegando, & tacendo. Quid iuuat filia mundum, diuitias & amicorum gloriam reliquisse, si propter acum irasceris, aut si ad vilissimum quid aliud, amorem adhuc non exueris? si denique pro illis habendis, aut non amittendis digladiaris, tristaris, contendis, & proximi charitatem pacemq; lædere non metuis? Elige igitur nunc, fortiterq; statue ex animo, omnia pro mei amore contemnere, & præter valdè necessaria nihil velle habere: paupertatem, vilitatem & penuriam amanter sustine, vt me (qui mille mundis vt sum melior vtiliorq; ita debeo esse charior) valeas possidere. Quid moraris filia? Meo exemplo confortare, mei amore accendere, & in omnibus quæ ad me pertinent zelare te in paupertatē ac omnium rerum penuriam. Porrò alios homines omni consolatione dignos existima, vt potè seruos micos fideles, te meliores, neque aded vt te ingratos. Et ideò stimulante charitate & compassione vrgente, quantum in te est, ne alicui quid desit, opera, seruitio, fauore, & quomodo potes, omnes iuua. Quicquid habes tu, id alienum puta, vt neque amando illud possideas, neque cum dolore amittas. Quicquid habes, in aliorum vsum tibi datum existima.

2. Cor. 8  
Ioan. 1.  
Psal 38.  
Lucæ 2.  
Ibidem.  
Mart. 2.  
Mat 14.  
Lucæ 8.

Ioan. 19.  
Mat 27.  
Marc. 4.

Paupertas  
Christi  
quomodo  
contem-  
planda.

In paupertate  
qui quis-  
que se gere-  
re debeat.

*Sentire de seipso vt quisque debeat humiliter: & vt humilitas à Deo  
petenda sit præcipue.*